



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quæ sint illæ proprietates quibus distinguuntur personæ. A. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

AN EASDEM PROPRIETATES A S.  
signent Augustinus & Hilarius: & an istæ sint quæ  
dicuntur paternitas, filiatio, &  
processio.

## DISTINCTIO XXVII.

HIC quæri potest, utrum proprietates quas Hilarius supra assignavit, scilicet quod pater semper est pater, & filius semper est filius, sint illæ eadem proprietates quas Augustinus superius distinxit, dicens, proprium esse patris quod genuit filium, & proprium filii quod genitus est à patre, & spiritus sancti quod ab utroque procedit? Ac deinde, utrum & istæ sint illæ quæ dicuntur paternitas, filiatio, processio? Videtur quod non sint eadem proprietates quas ponit Hilarius, & illæ, quas ponit Augustinus. Si enim eadem sunt, idem est ergo patri esse patrem, & genuisse filium, quod utriusque quidam concedunt. Si autem hoc est, cui ergo convenit ut sit pater, ei convenit genuisse filium. Natura ergo divina si pater est, genuit filium: si vero non genuit, pater non est. Sed quis audeat dicere, aut quod ipsa genuit filium, aut quod ipsa pater non sit? Si autem ipsa pater est, non est ergo idem dicere aliquid esse patrem, & gignere filium. Et ita non videbitur, una eademque esse proprietas.

Responsio, ubi ostendit easdem esse proprietates.

Hilar. ante  
mediam li.  
12. de Trin.

AD quod sine præiudicio aliorum dicimus, quod easdem proprietates notavit uterque, licet diversis verbis. Quod n. Hilarius ait, ita intelligi debet: Proprium patris est quod semper pater est, id est, proprietas patris est, qua semper pater est: semper vero pater est, quia semper genuit filium. Ita & proprium filii est, quod semper filius est, id est, proprietas filii est, qua semper filius est. Filius vero semper est, quia semper genitus est, ergo proprietas qua pater est, eum quia

quia semper genuit. & hæc eadem dicitur paternitas, vel generatio. Et proprietas qua filius semper est filius, est, quia semper genitus est à patre: & hæc eadem dicitur filiatio, vel genitura, vel natiuitas, vel origo, vel nascibilitas. Sic & proprietas qua spiritus sanctus est spiritus sanctus, vel donum est quia procedit ab utroque: & hæc eadem dicitur processio. In præmissis ergo locutionibus eadem significatæ sunt proprietates.

*Quomodo non est omnino idem dicere, esse patrem & genuisse, vel habere filium, ita & de aliis.*

NEC tamen videtur nobis omnino esse idem dicere aliquid esse patrem & genuisse filium: vel aliquid esse filium, & habere patrem: vel esse spiritum sanctum, & procedere ab utroque; alioquin pater non esset nomen hypostasis, id est, personæ, sed proprietatis tantum: similiter filius, & spiritus sanctus & ita non per tria nomina significarentur tres personæ. Ideoque dicimus, quia patris nomen non tantum relationem notat, sed etiam hypostasim, id est, substantiam significat: ita & filius, & spiritus S. Relationum vero vocabula, scilicet paternitas, filiatio, processio, vel gignere, gigni, procedere, ipsas tantum relationes, non hypostases significant, siue habere filium & habere patrem: ut verbi gratia, cum dicimus Deus est pater, nomine patris & relationem notamus, & diuinam hypostasim significamus: ut sit intelligentia talis, Deus vel diuina essentia, id est, ille qui genuit, id est, hypostasis quæ habet filium: Similiter Deus est filius, id est, hypostasis genita vel habens patrem. Ita etiam, Deus est spiritus S. id est, hypostasis procedens ab utroque; siue ille qui procedit. Cum vero nomina relationum ponimus in prædicatis, notionem ipsas tantum significamus, non hypostases: ut cum dicimus, Deus genuit, id est, habet filium, & Deus genitus est, id est, habet patrem. Et tunc oportet intelligi